

De antiquitate continentis Pradi lingua...
R.N. 53146

VIRO JUVENI

B.

II b
25

ET

NATALIUM DIGNITATE ET EGREGIIS
ANIMI ORNAMENTIS CONSPICUO
DOMINO

X 2255738

ANDREAE FRIDERICO
BASTINELLERO

INDEFESSO ADHUC BONARUM
ARTIUM CULTORI

JAM VERO

LEUCOREAM STUDIORUM CAUSA PETENTI
FELICEM RERUM SUCCESSUM
APPRECATUR

SEQUE AC RES SUAS

AMPLISSIMORUM PARENTUM
PATROCINIO

ILLIUSQUE FAUORI

SUBMISSE COMMENDAT

M. CHRISTOPHORUS KRETZSCHMARUS.



DRESDÆ, LITTERIS HARPETERIANIS

α.



33.



206

10

10

10

10

10





Vir Juvenis Nobilissime Ornatissi-
meque,
Fautor atque Amice summo mihi opere Colende,



Olitorum nunc litterarum posito rite fun-
damento ad altiora & PARENTE MA-
GNO, callidissimo harum quoque re-
rum Arbitro & omnibus, Tua quibus in-
notuit dexteritas hoc institutum conjun-
ctim probantibus, vnoque veluti ore col-
laudantibus adspiras, inque campum
Academicum tanquam ad sapientiae mer-
catum bono omine in magnam patriae eruditique orbis expe-
ctationem emitteris. In ea etenim, quae sublimioris sapientiae
Candidatum decorant ornamenta, non inuita, vt ajunt, Mi-
nerua, sed indefesso studio pari successu adhuc incubuisti, vt
non vana sit spes, fore Te imposterum eum, quem omnes
aequi

aequi rerum aestimatores cognitum jam dudum judicarunt. Ego, cui per breuem temporis tractum conatuum Tuorum, magna cum laude susceptorum spectatori, atque ex parte, quantum mihi cognita satis virium mearum infirmitas permisit, adjutori du-
cique esse licuit, nunquam non indefessam, vti reliquis, quae humanitatis vocantur studia, ita inprimis Latini sermonis culturae impensam abs Te operam mirum in modum & approbavi & incredibili perfusus gaudio sum admiratus. Erunt forsân, quae peruersa hodierni saeculi est indoles, infensi bonarum artium hostes, qui Theonino dente istud eruditorum praesidium arrodentes Stentorea fauce clament, Nubem Te pro Junone esse amplexum, tantum industriae, tantumque laboris linguae jam dudum vna cum gente extinctae tribuendo. Tristis enim nostri temporis isthaec est facies, vt Romani sermonis elegantia, quo inter alia adminiculo olim litterarum restauratores ad foedam, quae orbem obfuscabat, barbariem pellendam, feliciter utebantur, a nostri aevi dicaculis, vt ita loquar, qui altioris sapientiae fumum imperitis vendunt, non solum contemptui & ludibrio exponatur, sed & (risum teneatis amici!) inter primas barbariei, vt ajunt, in futurum metuendae, causas praepostero feruore referatur, vel penitus hoc eruditorum ornamento posthabito, quemlibet in vernacula, hujus ornatu operose parato, maximum eruditionis fastigium ascendere posse, contendentibus. Gallorum, mores, vt in ceteris, ita etiam in hac eruditorum luce, prouti crepant, sananda exempli loco seueri isti Orbis litterati censores esse volunt, quippe quae gens artes scientiasque in vernacula tractare sua, istamque, Romano sermone neglecto, ex-
polire atque exornare adhuc non summo minus studio, quam exoptato rerum successu allaborauerit. Nec allegari posse, strenue asseuerant, rationem, quare non eadem fors reliquis tribuenda linguis, vt idoneae eruditionis constituentur administrae. Haec
talia

taliam non solum magno hiatu & sesquipedalibus, ut ita dicam, verbis multi continuo effutiunt, tenerisque animis inculcant, sed scriptis adeo etiam suis, egregiis scilicet mercaturae litterariae ornamentis inserunt, certo sibi persuadentes, se funus linguae Latinae hoc modo facilius celeriusque paraturos. Juvenum vero animos, ad laborem in ediscendis linguis perferendum supina segnitie tardos, in quae devia a vero studiorum tramite his deliramentis abducant, quoties talium blandiciarum irritamenta illecebrasque audiunt leguntque, ipsos non fugiet rerum istarum gnaros iudices. Operae itaque pretium me facturum arbitror, si paucis, pace Tua, MI BASTINELLERE persuasionis hujus iniquitatem ostendam, quanquam satis superque, quod ad Te, JUVENIS OPTIME, attinet, omnia haec opinionum portenta surdis narrari auribus, mihi constet. Linguarum eruditae receptarum, neglectum suadent difficiles atque morosi rei scholasticae Censores, & si per ipsos staret, publica lege Draconis more scripta Latinam quoque ex litterato orbe proscriberent, in eo Romanos minus adhuc cultos imitantes, qui Graecos ex urbe ejiciebant, sibi, Catone, apud *PLINIUM* auctore persuadentes, *quandocunque ista gens suas litteras daret, omnia corrumpi*. At utinam nostri Catones tandem aliquando sapere discerent more Romanorum, qui temporis tractu edocti, quid distarent aera lupinis, aliam induerunt mentem tanto Graecorum linguam & artes profecuti amore, ut non solum in Graeciam accervatim, tanquam ad mercaturam bonarum artium proficiscerentur, sed etiam nulla fere nobiliorum civium existeret domus, in qua non Graecorum aliquis Grammaticus aut Philosophus aleretur. De Graecae linguae deliciis, ejusque summa in litterato orbe necessitate jam non loquar; quamvis eadem, quod maxime dolendum, multis non spernendae eruditionis famam sibi tribuentibus, adeo facta sit peregrina, ut nostro aevo trita,

at majoribus nostris ignota, satisque barbara vbique audiatur sententia: *Graeca sunt, non leguntur*; Sed Latini tantum sermonis noticiam omnibus, quibus vel a limine modo litteras salutare est animus, summo esse opere necessariam paucis in praesentiarum euincam. Eruditorum in numero tantum ei tribuendum esse locum, qui doctorum monumenta, quae diurno nocturnoque labore studiose collocato feliciter in lucem ediderunt, euoluit, legit, suamque in rem maxime notatu digna continua industria transtulit, nemo, nisi qui ne veram quidem eruditionem vnquam rite aestimauit, ibit incicias. Mortalium conditio sic est comparata, vt si vel maxime vna in re veri tramitem calcant inventum, centies tamen in aliis magni ponderis momentis sagacissimum quoque ingenium & limatissimum iudicium caecutiat, hallucinetur atque offendat, quoniam *non omnia possumus omnes*. Quispiam eruditorum eandem saepe rem ad vivum refecat, quae alios centum, non minori, quam ille est, sagacitate praeditos fugit latetque. Tanta etenim rerum est multitudo, vt vnus homunculorum ad omnes attendere, in earumque causas & rationem inquirere nullo modo queat; cum contra ea ab aliis inuenta perlustrare, iisque addere, ad maioremque lucem veritatem iam inuentam deducere sit facillimum. De notitia rerum antea gestarum, nobili eruditionis parte, & quae sunt reliqua, iam festinatio me facere mentionem mihi non permittit. Patere vero jam satis exinde arbitror, indefessam monumentorum lectionem, quae eruditorum sedulitas exclusit ac nobiscum communicauit, vere docto admodum esse necessariam, vt eorum, qui se sine libris doctrinam affecutos esse mentiuntur, inclarescendi artes detegere supervacaneum foret, quas Machiavellismo suo quanquam paucis, merito inseruit doctissimus *LILIENTHALIUS*. Praeter alios de hac necessitate & vtilitate diligentis lectionis aequae luculenter ac strictem egit

FRAN-

FRANCISCUS SACCHINUS, resque pro se ipsa verba facit, vt adeo breuitatis studioso esse mihi omnino liceat. Quibus rebus ita comparatis, jam Lector Beneuole, calculum mecum sic velim subducas. Communis Romana lingua omnibus adeo eruditus in toto dispersis terrarum orbe facta est vernacula, vt illi, qui innumeris fere mirum in modum inter se discrepantibus linguis sunt adfueti, nulla ratione melius ac commodius sua inventa suaque cogitata orbi erudito nota reddere, atque cum eo communicare queant, quam ea vrentes lingua, quae civibus Reipublicae litterariae vsu est, fuitque recepta. Quod si quilibet in sua scriberet vernacula, aut omnes tibi addiscendae forent linguae, quod mortalitatis non ferret conditio, innumerisque parafangis maiorem tibi conciliaret laborem, quam si vsus vnus Latinae inter eruditos obtinet; aut lectio librorum plane negligenda, quod vero ad eruditionem perveniendi ad miniculo te defraudaret. Latina itaque cum vt plurimum in consignandis libris vtantur eruditi, eruditionem affectans, qui vero nausea huius laborat linguae, iterum aut ab eruditorum monumentis absteat legendis, & sic falso se eruditum esse crepabit, aut suis alat impensis interpretem, qui ipsi aliorum tum veterum, in quibus maxima latet sapientia, tum recentiorum meditationes explanet diluciderque, atque in vernaculam transferat, quod tamen multis ex rationibus foret absonum. Linguas non ipsam absoluere eruditionem, ego pariter contendo, atamen vehiculi quasi & fundamenti partes easdem suo sibi iure vindicare, neminem, nisi iniquum & imperitum rerum omnium iudicem negaturum asseuero. Remoto autem hoc fundamento, ejectaque ex eruditorum orbe hac lingua, aedificium nullo modo exstrui atque firmari posse, aut si vel maxime non nemo, se ejusmodi architectum esse, qui nullo aedificii posito fundamento in libero posse aëre arcem exstrui fingat, molem hanc vanae tantum

tantum persuasionis fore opus & a quovis vel leuioris venti impetu subruere, luce meridiana est clarius. Quemadmodum itaque ille, qui in sola huius linguae peritia subsistit, contentus, si magnas indefesso studio copias sibi in ea paravit, altiora vero, ad quae omnino adspirandum, negligit, verae eruditionis famam aegre tuebitur, ita et ab huius linguae noticia alienum, in eruditorum numerum ego nullo modo referrem. Perplacent mihi *IO. CLERICI* verba a *IO. HENR. KROMAYERO* civitate donata Latina sic scribentis: *Qui veterum linguas edocti sunt, interpretem quasi secum habent, quo comite mundum quendam peragrant, quem ubique frustra quaeris, in libris inuenies iis scriptis linguis, quibus non amplius loquimur: Quo quidem interprete si destituaris, non poterit fieri, ut quidquam eorum tibi innotescat, quae ibi contigerunt; Et sicuti negotiis, quae principibus cum peregrinis gentibus sunt, eos potissimum homines, qui plures linguas callent, videmus adhiberi: Ita, nisi plane praeteritorum incurii velimus videri, necesse erit, ut ante omnia rationem habeamus linguarum, quae maximum ad elegantium litterarum studium afferunt momentum, atque, quam fieri potest, communem earum notitiam reddamus. Vernaculae, ut et istud attingam momentum, si quis serio suscipiat culturam, a me non culpatur, multo minus inter moleste sedulos refertur, iste tamen labor ne in fraudem fiat degeneretque Latinae, eiusque neglectum inducat, etiam atque etiam suadeo. Gallos operose hanc metam sibi praefixam tenuisse, inter omnes constat, ut patriae linguae non spernendum conciliarent nitorem, id quod nemo admodum adeo improbat. Attamen etiam istud, nullum inter eos inualuisse Latinae contemptum, sed potius utriusque culturam atque ornatum ab iis summo studio coniungi, neminem praeterit. Vtrum vero non ea moti sagacitate, ut et gentis celebritatem augerent. et necessitatem quandam eruditio impone-*

ponerent hanc addiscendi linguam, plurima, quae ediderunt, Opera in vernacula consignarint, veteres quoque Auctores in suam transtulerint linguam, alii harioleantur, simulque temporis dispendium aestiment, quod scientiis impendi posset, huic vero ab eruditis ediscendae iam iam tribuatur, necesse est, ut suo adeo excogitato callide instituto potius eruditioni remoram posuisse, quam eam iuvisse mihi videantur. Nec etiam, quae suscepta studiose barbarae linguae expolitione, veterumque suam in linguam translatione importarint emolumenta, invenire potuit magnus *HERMANNUS CONRINGIUS*, omnibus rite perpenhis sic scribens: *Gallos multum adeo laborare in ornanda sua lingua, veterum optimorum historicorum versione, gaudeo equidem, nescio tamen, an faciant operae pretium. Cui cordi serio est prudentia civilis, illumne pigeat Latinam linguam addiscere, qua nullum datur, completius omnigenae doctrinae penuarium?* Addo porro & istud: ut ut sis in vernacula exornanda quam maxime occupatus, nullam tamen te inventurum linguam, quanquam comtam politamque, quae, Graeca excepta, quibus, Poëta teste, *dedit ore rotundo Musa loqui*, Latinam & verborum pondere & elegantia & pressis quasi eruditionis vestigiis aequiparet, nedum superet, ut adeo haec mihi proximam ad eruditionem perveniendi, iudiciumque limate acuendi quasi viam videatur praemonstrare. Id quod dilucidius explanarem, nisi ad alia, aequae necessaria, maximeque huc pertinentia, foret properandum. Og-ganniunt videlicet alii, non penitus se Latini sermonis improbare usum, sed tantum operosam & nimiam ejusdem culturam reprehendere, quippe quae barbarici omnes omnino portas manifesto aperiat, ac artibus altioribus certissimum obdat repagulum. Esse enim multos, qui omnem fere in verborum ornatu collocent operam, deque vocum puritate, tanquam

B

pro

pro aris focusque pugnent. Molestam istorum sedulitatem, cum in atrio haereant eruditionis, penetralia non intrantes, artibus foedam importare stragem, funestamque ruinam altioribus scientiis conciliare. Vtrum foedum illud malum, quod majorum nostrorum tempore vinculis constrictum tenebat mundum, pullulet, nobisque rursus immineat, iam ego non inquiram, nec negantium nec affirmantium rationes discutiam a *B. BUDDEO* in peculiari propositas Schediasmate: Sed istud tantum obseruo, in Censores nostros egregie illud quadrare Poëtae:

Dat veniam coruis, vexat censura columbas.

Taxandi scilicet forent, si istorum a partibus nobis standum, viri eruditi *SIMONIUS*, *CLERICUS* aliique, qui de litterarum pereuntium causis sollicite commentati primam hujus pernicietis rationem sunt obliti, nunc demum a curiosis arcanorum scrutatoribus in lucem protractam. Sed res bene se habet; Lupum *Æsopicum* mihi videntur imitari aduersarii innocentibus huic linguae curatius impensis conatibus fontium perturbationem tribuentes quae aliis & contrariis forsitan causis fuerat adscribenda. At enim vero, vide lector Beneuole, quo rem, animo tamen ab omni alios laedendi pruritu prorsus alieno, deducam. Quod si quis assereret: Sollicitam atque exactam in fundamento aedificii ponendo locauit curam atque operam architectus, propterea certe ipsa moles festinatam faciet jacturam. Annon quilibet istud audiens ore distento cachinnum tolleret? *Æ*que absona mihi videtur esse aduersariorum sententia, ob conseruatam studiose Latinae linguae puritatem artibus atque scientiis imminere ruinam adfirmantium. Datur duplex barbaries, quarum vna in verbis subsistit, altera vero res ipsas polluit.

polluit. Priore orbem litteratum maculante, altera sensim sensimque sequatur necesse est; Id quod tristis superiorum temporum experientia diserte confirmat, siquidem linguarum neglectus vniuerso eruditionis campo luem foedam conciliauit. At seruato purioris Latinitatis cultu aequae tristitia nobis instare fata, nemo, nisi qui ad solis lucem caecutire assolet, facile sibi persuaderi patietur. Sorex vero suo se indicio prodere mihi videtur. Aduersarii enim, se iam barbaros esse factos, verborum barbariem omnibus suadentes, et forsân obscurorum virorum Epistolas terso et limato Ciceronis scribendi generi praeferentes, hoc opinionis monstro innuunt. Ipsi supino inescari torpore, istud ornamentum attingere non potuerunt vernacula sua contenti, hinc eiusdem gloriam aliis inuidentes in eos, tanquam ipsam solis lucem obfuscaturi, inuehantur. At saeuiant isti, debacchentur, quoniam illud *didicisse fideliter artes*, ab ipsorum animis longe est remotum, prudentibus viris aequitatemque amantibus infontes vsquequaque permanebunt strenui bonarum litterarum cultores. Is quidem ego non sum, qui Tiberii Caesaris, teste *XIPHILINO*, edictum promulgaturi, ac ob purioris vocis ei congruentis defectum animum mutantis superstitionem approbem. Multa enim veteribus Romanis incognita, sunt inuenta, hodieque inueniuntur, quibus noua indere nomina nulla lex prohibet. Vt taceam de vsu vocum olim recepto, vsquequaque iudicandi facultate tum scriptorum paucitatem, tum laboris molem nondum per omnia satis extricati nos priuare. Interim tamen vt omni studio strenuoque labore has Latii delicias puras atque immaculatas conseruare allaborent litterarum studiosi, cum omnibus rem rite pensitantibus ego suaor semper sum futurus. Quod si etenim nos a pristina paululum deflectimus munditiae, alii nostrum sequentes institutum longius recedent

dent, atque exinde fiet, vt tandem paulatim posteri in foedum prolabantur sterquilinum omnem penitus puritatem culpando hoc torpore perdentes. Tantum itaque abest, vt ego improbem eorum, inprimis formandis iuuenum ad humanitatem animis operantium conatus, qui vel maxime huic insudant labori, vt fontes hos conseruent limpidos, atque ab iniectis emaculent fordibus, vt potius eos nullo modo sua esse defraudandos laude autumem. Quamuis etenim istis summae denegabitur eruditionis gloria, eos tamen hoc Rerum publicarum et fulcimentum et ornamentum mirum in modum iuuisse nemo salua veritate poterit negare. Inaedificent alii huic fundamento, quod isti magna cura feliciter iecerunt; tum eruditionis aedificium stabit ac manebit immotum. Vnde quaeso factum est, vt superiora tempora tot eruditionis lumina, quorum memoriam nulla vnquam delebit obliuio, in medium protulerint, quae forsan aevo nostro anxie desideramus, ac collocato frustra opere quaerimus? Artes, quae ab humanitate acceperunt nomen, et in iis Latinae linguae ornatum amabant, excolebant. Nonne *B. BV DDEI*, de paucis aliis iam tacebo, scribendi genus est satis comtum, limatum ac tersum? Attamen studium huic labori impensum ipsum ab acquirenda summae eruditionis laude, quam totius fere Europae gentes vno quasi ore celebrant, neutiquam retrahit. Horum proinde vestigiis studiose pressis nec nobis defuturos, qui eruditionis ornamento commune commodum prouehant, firmiter sum persuasus. Vno verbo: Librum eleganti stilo consignatum quamplurimos habere amatores, arctoque quasi vinculo constringere atque allicere lectores quotidie videmus, cum e contrario hiulco ac limoso scribendi genere confectum, etiamsi maxima in eo contineatur eruditio, quilibet fastidiat atque abiiciat. Multa adhuc essent monenda, at et temporis penuria, et **Tua, MI BASTI-**
NEL-

NELLERE, festinatio ad finem me properare iubent. Plura dabunt tot de vsu et praestantia linguae Latinae scriptores, imprimis *VBERTVS FOLIETA*, et maximum hodie eruditi orbis ornamentum, *IO. LAVR. MOSHEIM* in praefatione libro eius praemissa. Forsan et si Deus maiorem mihi tranquillitatem largitus fuerit, atque ex praesentibus me turbis eripuerit, hoc argumentum peculiari schediasmate pertractandi se se offeret occasio, vt adeo fusius ea, quae hic strictim, nulloque seruato ordine, tetigi, exponam atque dilucidem. Tu, **VIR IUVENIS NOBILISSIME**, eorum, quae haecenus disserui, haud ignarus, non postpositis aliis, iuuenem quae ornant, exercitiis, Latini sermonis notitiam Tibi egregie reddidisti familiarem, adeo, vt pauci altioris scholae penetralia adeuntes Tuam aequent dexteritatem, ne dum vincant. Quibus conatibus dextre susceptis maximae debentur laudes, eam quoque ob causam, quia facta in litteris incrementa aetatem longe anteuertunt. Posita enim vix praetexta iam dignus eras, cui altiorum disciplinarum adyta paterent, non linguis minus, quam reliquis humanitatis artibus exercitiisque et animum et corpus exornantibus egregie imbuto. Sic tuo exemplo irritas reddis querelas toties clamantium, iuuenum viginti et plures annos natum aegre ex more doctoribus scholasticis recepto tralatitiam sibi, aliis omnibus ommissis, parare Latinae linguae notitiam, eumque tandem inani verborum copia diuitem ad Academias ablegatum annorum flore frustra absunto vix in mediocriter doctorum numero suo sibi iure locum posse vindicare. Magnum equidem eorum esse numerum, qui vigesimum aetatis praetergressi annum, quin et maximo vitae consumto spatio, ne vel leuiorem quidem, et vulgarem sibi huius linguae peperere notitiam, non nego, at culpa non ad linguae conditionem, sed aut ad virium defectum, aut insitam ipsis signi-

tiem redundare mihi videtur. Isti si a litteris tractandis plane abstinerent vel arcerentur, tot non existerent orbis litterati opprobria atque dedecora, quot iamiam circumforaneorum more circumcurstantes et leuiori vento aliis rerum expertibus imponendi artem edocti vbique apparent. Si quis vero et necessariis animi dotibus indefessoque non destitutus studio, quod vtrumque Te **AMICE DILECTISSIME**, decorat ornamentum, opus istud aggreditur, eum maturius metam tangere ac altioribus ad-moueri posse scientiis, Tuum nos exemplum luculentius edocet. Bonis itaque auspiciis discede, iactoque feliciter fundamento sub **PATERNA** tutela prouidaque cura, cui parem educandis sollicitate liberis nullius fere Parentis vllibi deprehendi, inaedifica. Gratulor admodum **AMPLISSIMIS PARENTIBVS** de tali filio, certissimo olim Reipublicae fulcro: Gratulor et Tibi de dignitatum fastigio, quod Tuas certo manebit dotes, si eas in posterum quoque, vti coepisti, magis magisque adaugebis. Currenti calcar addere superuacaneum arbitror: Nosti enim ipse magnam, vt Ciceronis vtar verbis, Tibi aduersariam esse constitutam, incredibilem et **PARENTIS MAGNI** et patriae omniumque bonorum expectationem, quam de Te Tuisque animi ornamentis conceperunt. Tantum abest, vt ego de Tuo eam vincendi animo et alacritate dubitem, vt potius certo sim persuasus, Te opinione celerius maiorum illustrium vestigia presursum, atque ad summum et eruditionis et dignitatis fastigium adscensurum. Ex conspicuis eruditionis fama et dignitatis splendore illustribus natum esse parentibus, non leue est ornamentum, at iis tantum vtile, qui maiorum instituta propriis sectantes virtutibus ad summa laudis cacumina adspirant. Talem te paulo post non vanis persuasionibus ductus, sed indolis Tuæ non nisi magna pollicentis noticia, crebriori consuetudine mihi parta,

parta, permotus auguror. Annuat coeptis Tuis Summum Numen, eaque in sui gloriam ac Reipublicae emolumentum ita dirigit, vt omnia, quae animus praesagit mihi, sint rata, faustoque successu in Parentum omniumque bonorum gaudium comprobata. Ego vero quemadmodum PARENTIS HONORATISSIMI ac totius FAMILIAE SPLENDIDISSIMAE submissus cliens me resque meas patrocinio in partem meliorem commendatum volo, ita abs Te, *Vir Juvenis Lectissime*, summo quoque opere contendo, vt locorum interuallo remotus mei memoriam Tibi velis habere curae cordique, qui calido amoris affectu Te dotesque Tuas nunquam non sum deveneraturus. Vale. Dabam Dresdae d. X. Calend.

Maii. Anno. MDCCXXXII.



QX T 6 25

Patris gratiam sicutis dicitur. Quia
non est in illud ut de Republica dicitur in de
patre ut patet in talibus patet in talibus
etiam in istis talibus dicitur in istis
patris gratiam sicutis dicitur. Quia
non est in illud ut de Republica dicitur in de
patre ut patet in talibus patet in talibus
etiam in istis talibus dicitur in istis
patris gratiam sicutis dicitur. Quia
non est in illud ut de Republica dicitur in de
patre ut patet in talibus patet in talibus
etiam in istis talibus dicitur in istis

Milii Anno MDCCLXXII
Vobis Dabam In Christi Nomi



m





De anni quitate contemner Padu liaquanum
An. 53146

VIRO JUVENI

ET

NATALIUM DIGNITATE ET EGREGIIS
ANIMI ORNAMENTIS CONSPICUO
DOMINO

ANDREAE FRIDERICO
BASTINELLERO
INDEFESSO ADHUC BONARUM
ARTIUM CULTORI

JAM VERO

LEUCOREAM STUDIORUM CAUSA PETENTI
FELICEM RERUM SUCCESSUM
APPRECATUR

SEQUE AC RES SUAS

AMPLISSIMORUM PARENTUM
PATROCINIO
ILLIUSQUE FAUORI

SUBMISSE COMMENDAT

M. CHRISTOPHORUS KRETZSCHMARUS.

DRESDÆ, LITTERIS HARPETERIANIS

α.

33.

II b
25

X 2255738

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA